

sti obliuiscuntur, qui & tanto ante prædixit, ut legi dei potius obtemperent, quàm imitandi uideantur illi, qui ea quæ dicunt non faciunt. Et traditorẽ suum tolerans usq; in finem, etiam ad euāgelizandũ cum cæteris misit. Quinam hominũ erit, qui sibi manendum existimet in itinere, cum uiderit, miliaria lapidea literis plena, uiam docere & non ambulare? Fortasse alius dicat: Ego iam baptizatus in Christo, quo mihi omnia præterita peccata dimissa sunt. Vilis factus sum nimis, iterans uias meas, & canis horribilis oculis dei conuersus ad uomitum suum, quò abibo à spiritu eius, & à facie eius quò fugiam? Quo frater? nisi ad eius misericordiam pœnitendo, cuius potestatem peccando cõtempseras. Nemo enim recte fugit ab illo, nisi ad illum, ab eius seueritate ad eius bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem, ubi eius præsentia non inueniat? Si ascenderis in cœlum ibi est, si descenderis in infernum adest. Recipe ergo pennas tuas in directum, & habita in spe. In extremo huius seculi. Etenim illuc manus sua perducet te, & perducet te dextera sua. Quicquid enim feceris, quæcunq; peccaueris, adhuc in hac uita es, unde om̃ino si sanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas. Sed non sufficit mores in melius cõmutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat domino, per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus elemosynis: beati misericordes, quoniã ipsis miserebitur deus. Non enim dictum est, ut tantum abstinemus à peccatis, sed & de præteritis (inquit) deprecare dominũ, ut tibi dimittantur. Oportet igitur ad pœnitentiam accedere cum omni fiducia, & ex fide credere indubitãter, pœnitentia aboleri posse peccata, etiam si in ultimo uitæ spiritu admissorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia propositũ dei quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile. Et ideo quia uolũtas eius nõ mutatur, siue emẽdatione uitæ, si tempus cõceditur, siue supplici cõfessione, si continuo uita exceditur, uenia peccatorũ fideliter præsumatur, ab illo, qui non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miseratione domini uiuat. Sed fac incertum esse, utrum ignoscat deus, quid perdit homo cum supplicat deo, qui salutem perdere nõ dubitauit, cũ offēderet deũ. Quis enim certus est etiã quod Imperator ignoscat? & tamẽ pecunia funditur, maria transeunt, procellarũ incerta subeunt, & ut mors uitetur, penẽ mors ipsa suscipitur, supplicatur deinde per homines hominĩ. Sine dubitatione fiunt ista, cum sit dubiũ quo fine proueniãt. Et tamen certiores sunt clauẽ ecclesiæ, quàm corda regum.

*Defundit p̃ssimos sacerdotes*

*Statue Mercuriales.*

*Amplectenda pœnitentia.*

*Satisfactio p̃ perpetratis criminibus.*

*Satisfactio pro peccatis*

*Ex lib. dogmatum ecclesiasticorum.*

*Quædam exemplaria habet, publica cõfessione, sicut docuimus in præfatione ecclesiasticorum dogmatum.*

*publicum h̃z fundamentum*

*Clauẽ ecclesiæ.*

b s quibus